



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Stanislaus Ep. M. 11. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

amavit? Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri  
voluit. Et verò ubi mollius ossa nostra jacerent,  
quàm in sinu MARIE? *Ex Sur. & Rav. S.*

*Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse  
sit mecum, quàm regnare sine te, opulari sine te, si-  
ne te gloriari. Bonum in tribulatione magis am-  
plecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine  
te vel in calo. S. Bern. serm. 17. Qui habit.*

S. STANISLAUS E. P. M. 11. Aprilis.

**I**ustitia præfides multos habet, Patronos pan-  
cos. STANISLAUS adè Cracoviensis Antistes  
mortuum citare testem coactus est, ne optimâ  
causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili em-  
ptum, fraude amicorum ejusdem propè perdide-  
rat, nisi illum ipsum Petrum, triennio antè defun-  
ctum, ad Iudices redivivum adduxisset, quem ne-  
mo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare.  
Vitiatorum severus vindex semper audit, ignarus  
regulam flectere, seu pauperum tabernacula, seu re-  
gum palat<sup>a</sup> metiretur. In omnem peccandi licen-  
tiam Boleslaus Rex proverat, quem nequicquam  
admonitum STANISLAUS piorum tribu movit.  
Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vin-  
dictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victi-  
mam objicit, iisque tertium divinâ virtute vitæ  
afferre prohibitis, ipse carnificis manus occupat,  
& laniati à se Antistitis membra dispergit. Dam-  
narunt crudelitatem quatuor Aquilæ perpetuis  
excubiis reliquias turatæ; donec miraculo cæle-  
stique luce exciti mortales eas in urnam compo-  
nendas legerunt. Iuvit pietatem divina manus, la-  
cerosque inter se artus ica colligavit, ut nullum  
crudelitatis vestigium superesset. Non sustinent  
*impus*

impius Rex tam luculentam infanix suæ exprobrationem; sed regnum exilio mutavit, omnium hominum odium; cum STANISLAI triumphum etiam Aquilæ auferent. *Ex Surio.*

*Nunc dum mundus aridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequantur, excogita, & quæcunque transitoria sunt, altiori consilio jam transisse decerne. & velut ludificatoria illusionis somnium deputa. S. Dam. l. 8. ep. 8.*

S. GVTHLACVS C. XI. Aprilis.

GVTHLACVS regio situ nobilis, circa salutis annum DCC. VI. castra solitudine, sagumq; sacco mutavit. Sedem sibi legerat expertem humani cultus Insulam, quam perpetuis turbis ita infestam dæmones reddidere, ut consilium fuerit, statione decedere, nisi opportunis auxiliis D. Bartholomæus patronus ac tutor confirmasset. Corruptum aliquando ad inferos abstraxerant iidem turbatores, ubi oculis objectâ æternorum ignium atrocitate, minati sunt, nisi Insulâ faceffere vellet, continuò præcipitandum. Gnarus GVTHLACVS nihil ultra minas posse, ausus est vel in hostico abnuere. Ex eo tempore quot diebus ab Angelo tutelari sub diei noctisque crepusculum visebatur, novasque contra increbescens hostium impetum vires accipiebat. Discipulo, qui ei necem moliebatur, mentis arcanum aperuit: pro quo preces ad Deum fundere non desistit, quoad certam ei salutem impetravit. Eidemque triumphum suum ostendit mortuus, cujus pompæ pars fuit ignea turris à terrâ in cælum pertinens. Ethelbado Regi exuli per speciem objectus regni restituendi nuncius fuit. Qui receptis potestatis insignibus